ACADEMIA MONSPELIENSIS

A *IACOBO PRIMIROSIO Monspelienſi & Oxonienſi* Doctore deſcripta.

EIVSDEM LAVRVS *MONSPELIACA.*

AD

CLARISSIMVM

DOCTOREM *THOMAM CLAYTONVM* APVD *Oxonienſes* Medicinæ Regium Profeſſorem.

OXONIÆ,
Apud *Iohannem Lichfield* Academiæ Typographum, pro *Gulielmo Webbe*
Ann. D. 1631.

1925 : 13

CLARISSIMO VIRO ET AMICO

SINGVLARI, *THOMÆ CLAYTONO* MEDIcinæ apud *Oxonienſes* Profeſſori Regio *meritiſſimo.*

IACOBVS PRIMIROSIVS *Medicinæ Doctor. S.P.D.*

QVia exoptaſti (Clariſſime Clayton*) vt tibi Vniverſitatis* Monſpelienſis *(Medicinæ ſtudijs toto orbe celeberrimæ,) conſuetudines explicarem, lubens deſiderio tuo ſatisfaciam, tantopere me delectat almæ Academiæ, celeberrimorumq; Profeſſorum iucunda recordatio. Nec vrbis amœnitatem, ſplendorem, ædificia, nec Academiæ Incunabula recenſebo, quæ antiquiſſima mihi ignota forent, niſi clariſſimus* Ranchinus *cancellarius libris ſuis nuper editis ea patefeciſſet. Tantum illa deſcribam, quæ meo tempore ex antiquiſſimo ritu ſolebant obſervari,*

quam rem antea Andreas Kragius Daniæ Regis archiater, & de Lorme fusè olim perfecerunt. Constat igitur Vniversitas Theologis, Iuris consultis & Medicis, singulæ facultates suis viuunt legibus, more maiorum vtuntur, suasq; sibi res seorsim vendicant. Floruit olim plurimum Iurisprudentia; & hactenus satis viget, & meis quidem temporibus, sub doctissimo viro Iulio Pacio Philosopho & iuxis consulto eximio, & quatuor insuper illustribus viris Antecessoribus, in maximo precio erat. Sed quia apud Tholosanos, Bituriges, Aurelianenses, Pictavienses, ita docetur exactè vt nullibi terrarum melius, forsan illarum splendore paululum obscuratur. Sed Medicina tanquam in proprio cælo latissime splendescit & radiat, ac continuata quingentorum annorum serie antiquas constitutiones servat indelibatas. Facultas igitur Medica, sex constat Professoribus Regiis, qui stipendia habent regia, & duobus aggregatis dictis. Omnibus præest Cancellarius, sequitur Decanus, Hunc excipiunt Procuratores duo, reliqui suo ordine sequuntur. Mortuo autem eorum quopiam, succedere solet qui disputando per triduum Doctior iudicatus fuerit, eoq; tempore quo illic studebam Doctores vndecim Professionem Regiam Dortomanni morte vacantem ambientes intra mensses tredecim singuli triduanum hunc circuitum disputationum absolverunt. Proponebantur vnicuiq; quæstiones duodecim, de quibus intra totidem dies thesibus propositis respondebant. Solent autem bis singulis annis solemniter congregari

gari in congregationibus quas vocant per fidem. Prima est Octobris die XVIII D. Lucæ sacro, in qua eliguntur ex professoribus Procuratores duo, & studiosorum consiliarij quatuor, qui baccalaurei esse solent. Horum munus est Doctoribus prescribere quid prelecturi sint, curare vt suo munere perfungantur, testimonium de illorum diligentiâ reddere, vt à Quæstoribus Regiis ipsis stipendia persolvantur, tum in Baccalaureos animadvertere, vt fideliter cursus suos ita ab illis vocatos peragant, studiosorum controversias componere. Solent iterũ congregari post festum paschatis vbi quid toto illo semestri spatio legendum sit prescribitur. Interea semper quolibet anni tempore fermè quotidie convocari solent ad disputationes publicas, vel gradus & honores Vniversitatis conferendos, omnibus enim patet aditus, nec multi simul sed tantum singuli seorsim admittuntur. Quisquis Ergo ad gradum Doctoratus aspirat, vbi primum nomen suum dederit Vniversitati & per biennium ibidem, vel alibi studuerit, Professoresq; in ægris visitandis comitatus fuerit, ad examen admittitur pro primo gradu Baccalaureatus. Is super quæstione propositâ theses profert interdum manuscriptas, interdum typis excusas, & sub præsidio professoris illius Regii quem sibi elegerit, de ijs respondet die a Professore constituto. Vbi respondit, iurare solet se ex legitimo matrimonio esse natum, nec vllam mechanicam artem exercuisse, tum ex Iudicio Doctorum & Licentiatorum vel admittitur, vel reprobatur. Admis-

ſus autem ex antiquiſſimo ſcholæ inſtituto tenetur, de preſcriptâ ſibi materiâ publicas habere prælectiones per trimeſtre ſpatium, quo emenſo, ipſi licet offerre ſeſe quando libuerit examinibus dictis per intentionem ad Licentiatum conſequendum, quæ quatuor publica ſunt, in quibus a totidem Profeſſoribus examinatur publice, & purpuratus reſpondet. Poſt hæc quintum ſupereſt examen Rigoroſum dictum, in quo ab omnibus Profeſſoribus, Doctoribus & Licentiatis ſed Ianuis clauſis interrogatur, ſinguliſq; examinibus conceduntur ipſi horæ 24 vt theſes conficiat & ad reſpondendum ſe accingat. Tunc approbatâ ipſius eruditione certior fit Epiſcopus, aut ipſius Vicarius qui quando licet convocatâ Vniverſâ ſcholâ poſt multas orationes vtriuſq; habitas, gradus & honores confert dicto Philiatro, dein reducitur domum comitantibus Profeſſoribus, Doctoribus, licentiatis, ſtudioſis. Exinde Licentiatus dictus ſedet inter Doctores, examinat, interrogat, Iudicium ſuum profert, & de omnibus adſcholam pertinentibus ſententia eius rogatur, eodem demum iure & honore cum cæteris doctoribus fruitur, illis ſolo gradu minor. Quem gradum demum cum libuerit aſſequi poteſt. Ideoq; a Cancellario & Decano quæſtiones ipſi proponuntur quatuor, quæ Cardinales vocantur per excellentiam, theſibusq; prolatis de illis diſputãdi copiam facit, aſſertioneſque quaſdam addit quas placuerit. Soleiq; ex ſuggeſto operto capite de illis reſpondere per triduum integrum bis ſingulis diebus; Quibus exactis, di-

quodam

quodam constituto doctoratus insignia cum maximâ pompâ accipit, Laureante ex professoribus aliquo, hocq; solent singuli per vices facere. Hæc eadem lex est peregrino & indigenæ, sumptus ijdem, qui maximi olim solebant esse, sed senatus Tholosani decreto, cui subest schola Monspelien sis, fuerunt imminuti, vt sumptu mediocri, sed cum varia & multiplici probatione verum non nisi docto & erudito aditus pateat ad Medicinam, solentq; hi sumptus vt plurimum esse librarum anglicarum triginta, sine epulis & conviviis, quæ facere nemo tenetur. Eiusmodi exercitia tam sunt familiaria, tamq; frequenter repetere solent, vt nullum fermè tempus supersit prælectionibus. Abit annus disputando, vixq; vllum medicum theorema est, quod semel singulis annis, non agitetur in varias partes, cum maximâ auditorum vtilitate. Ex studiosis tamen multi abeunt ad alias Vniversitates minores, vbi leviss imo examine, minimisq; sumptibus doctoratum redimunt. Plurimi vel baccalaureatus, vel ad summum licentiatus honore contenti domum redeunt Medicinam facturi. Hispanos illic vidi Germanos, Polonos, Danos, Suecos, Helvetios, Scotos; Anglus meo tempore nullus aderat, eramus tamen plusquam trucenti. Hæc est Clariffime Clayto-
ne, schola Monspelien sis consuetudo, quam eo lubentius exposui, quod peculiaris sit scholæ & antiquissima, vtq; notum tibi sit scholam tam celebrem non nisi suo Iure merito primatum inter cæteras sibi vendicare, vt etiamsi ab alijs exacte

Medici

Medicina doceatur, præsertim a Patavinis, in gradibus tamen conferendis paulo sunt erga perigrinos indulgentiores, vt quoslibet ad supremos honores admittant, absq; vllo severiori examine. Habet quoq; schola Parisiensis *suos ritus elegantissimos, quibus nemo nisi Doctissimus admittitur ad Medicinam. Et his artibus Gallia nostra supremum artis fastigium est assecuta, nil intentatum reliquere, singulasq; eius parteis ita ausim dicere, excoluere Galli vt principem in Medicina locum obtineant. Ex Parisiensi schola prodierunt* Fernelius, Tagaultius, Hollerius, Rossetus, Ludovicus Duretus, Anutius Foesius, Ruellius, Andreas Vesalius, Hevrnius, Iacotius, Gorrhæus, Valetius, Bruyerinus, Iacobus Sylvius, Riolanus vterq;, Mauritius Cordeus, Renodæus. *Ex Monspelienſi* Guido de Cauliaco *Chirurgorum Princeps*, Gentilis insignis Auiennæ *commentator*, Valescus, Gerardus de solo, Falco, Argenterius, Antonius saracenus, Hyeronimus Montuus, Dalechampius, Rondeletius, Valeriola, Bauderonus, Schyronius, Fontanonus, Saporta, Iacobus Fontanus, Laurentius Ioubertus, Andreas Laurentius *insignis Anatomes scriptor*, Dortomannus, Varandæus, Iacobus Pradillus, Bertinus, Thodorus Collado. *Gaudet Gallia Vesalio, Sylvio, Laurentio, Carolo stephano, Riolano filio Anatomicorum principibus, Guidone, Tagaultio, Falcone, Paræo, chalmeteo, Guillemæo, Pigræo, Chirurgiæ scriptoribus excellentissimis, Sylvio, Iouberto, Fernelio*

nelio, Bauderono, Renodæo, Rondeletio, Pharmacopææ interpretibus exquisitißimis. In reliquis Medicinæ partibus quid tum prædicti tum reliqui præstiterint, ita tibi notum est, vt mea non egeant narratione. Vivos reticeo quamplurimos, Et sane Vnica schola Parisiensis intra Civitatis moenia plusquam sexaginta habet Doctores nulli secundos, inter quos hic recensebo Petrum Seguinum, Iohannem Riolanum filium Anatomicorum principem, & Carolum Chirurgiæ professorem, quos ego olim puer Medicinam summa cum laude docentes audivi, & tanquam Præceptores meos, ac de re litteraria optime meritos veneror. Monspelij audivi Varandæum, Pradilleum omnium quos vnquam audiui eloquentißimum, quos fatis ceßisse doleo. Superstites opinor Ranchinum Cancellarium (qui me nondum annum agentem vigesimum supremâ laureâ coronavit) Richerium de Belleual botanicum profeßorem, Iohannem de Lort, Georgium Scharpium natione scotum, Philosophum eximium, nunc Medicinæ Doctorem Regium. Reliquæ Galliæ civitates plurimos habent Medicos doctißimos olim vtriusq; scholæ alumnos, quos hic recensere invtile est omnino, quod tantum Academiæ Monspelienßis toto orbe celebratißimæ ritus exponere instituerim, quorum Paradeigma vt haberes, theses eas de quibus olim respondi omnes tibi descripsi, ex quibus seriem eorum quæ dixi omnium discere poteris. Addidi insuper quæstionem, de qua Burdigalæ, vt in Medicorum collegium coaptarer disputaui,

sunt

sunt pueritiæ meæ & currentis ingenij præcoces immaturiq́; fructus, qui etsi nec suaves sint nec Politieris Iudicij tui censuram ferre possint, quia tamen olim tibi gratissimos fuisse cognoui, quod me tibi multis nominibus deuinctissimum sentiam, sub tuo nomine edendos iterum & publicandos censui. Vale.

QVÆSTIO MEDICA

pro Baccalaureatu proposita a Clarissimo Viro *Johanne Varandæo*, Facultatis Medicinæ Decano. De qua respondi die xxj. mensis Ianuarij *Anno Domini* 1616.

An ex saporibus temperamenta dignoscantur.

THESES. I.

VT ex formis quatuor primorum corporum mutuâ actione & Passione retusis, nova exoritur misti forma, sic cum qualitates primæ mutuo conflictu remissæ fuerint, abjectisque contrarietatum quibus diffidebant gradibus, amicitiâ velut contractâ coiverint, emergit nova qualitas priorum diffidium ac pugnam cohibens, quæ temperies vocatur. Hæc autem cum qualitatum primarum sequatur victoriam varia est: Vel enim una tantum exuperat reliquis æqualitatem servantibus, unde sim-

plex exurgit temperies, estque quadruplex pro numero primarum qualitatum, calida, frigida, humida, sicca. Vel duæ præpollent, fitque temperamentum compositum calidum humidum calidum siccum, frigidum humidum, frigidum siccum, vel istarum omnium est æqualitas, in temperamento illo exquisito, cæterorum normâ ac mensurâ quod ad pondus nuncuparunt, quod scilicet ex paribus contrariorum conflatum viribus, extremorum medium possidet, ac in eo quod peculiaribus singularum partium actionibus conveniens est & accomodatum, quod propterea ad Iustitiam Medici vocarunt.

II.

HÆc temperamenta dignoscere cum non sit ita facile, signa tradit *Galenus libris de Temperam.* quibus rectè possint distingui, quæ ex qualitatibus, corporis habitu, vasorum structurâ, pilorum copiâ & paucitate, cæterisque aliis venatur & investigat. Cum autem temperamenta qualitatum sint quæ sensui per se patent, ex iis tutissimum de iis signum depromitur, maximèque ex secundis, densitate, raritate, duritie, mollitie, coloribus, odoribus, saporibus, cæterisque quæ cum ex primarum varia contemperatione ortum habeant, cum orta attestentur principiis, sensus ex illis temperamentorum differentias possunt cognoscere.

III.

INcertius autem ex coloribus & odoribus petitur judicium, cum colores non ità planè ex temperamentis pendere videantur, sed potius ex mistione variâ perspicui cũ opaco, singulæq; herbæ tam variæ facultatibus omnes tamen virides cernuntur. Odoratus vero homini obtusissimus non sufficit dignoscendis simplicium virtutibus admirandis; Soli sapores ad temperamenta maximé accedunt. Ideo certissima omnium exhibent judicia. Est autem sapor ex *Aristotele libro de sensu & sensili cap.* 4. qualitas corporis misti ex sicco terrestri in humido vi caloris generata. Materia igitur est siccum cum humido mistum. Neque enim humidum aut siccum seorsim materia saporis esse possunt, quia sunt insipida ut aer, aut aqua, unde ipsa lingua sicca facile non percipit saporem. Permistionem autem hanc non quidem frigus facit, siquidem quæ frigore concrescunt omnia fermé sunt insipida, ut nix, grando; Sed mistorum omnium communis artifex calor, qui siccum cum humido coquit, commiscet, ac prout varié fuerit temperatum variæ emergunt saporum species.

IIII.

QVatenus autem temperamenta spectant, commodé dividuntur a Medicis in calidos, frigidos, & temperatum. Frigidi sunt tres acerbus, austerus, acidus. Calidi tres acris, amarus,

ſalſus. Vnus inter omnes medius dulcis. Acerbus in materia craſſa per imbecillum calorem generatur, ideoque fructibus immaturis familiaris, contrahit adſtringit, denſat, quæ frigidi cum ſint effectus, frigidus cenſendus eſt. Cum autem terrenus ſit & frigidus, aut humectatione aut calefactione, aut utraque ſimul immutari poteſt, ut docet *Galenus* 4°. *de ſimplicium facultatibus cap.* 7. Si craſſa remanente materia humectetur humiditate aqueâ fit auſterus. Si ſubtilior fiat materia cum humiditate aereâ, exurgit acidus, ut in fructibus matureſcentibus apparet, aliiſque quibus naturâ familiaris eſt, ut ſucco mali citrei, arantiorum. Incidit autem extenuat, expurgat citra calorem. Si ſapor acerbus calefiat dulcis evadit, ſic fructus cum tempore dulceſcunt, omnẽ acerbitatem aciditatemque exuunt. Sapor hic moderatè calidus ex mediocri calidi & ſicci miſcela genitus, concoquit, mollit, laxat, rarefacit, ſoluſque vim habet nutriendi. Quod ſi pariter humectetur acerbus humiditate aerea, ſimulque calefiat, fiet pinguis, cujus nullam facimus a dulci differentiam.

V.

SAporum omnium calidiſſimus eſt acris, ſubſtantiâ maximè tenuis, attenuans, purgans, erodens, urens, ut ſinapi, piper, pyrethrum, euphorbium. Amarus calidus quoque eſt, craſſa eſt ejus materia atque terrena, ſed non omnino craſſa ut acerbi, verum multo tenuior, craſſior autem

autem quam acris, ut in felle, aloe, abſynthio. Itaque abſtergit, meatus expurgat, incidit humorem craſſitiem. Salſus amaro propinquus materiam obtinet terream, craſſam, ſiccam, per calorem excedentem & exſiccantem genitus, ex ſicco terreſtri exuſto cum humore permiſto. Igitur contrahit, conſtringit, exſiccat, putredinemque arcet. Cum itaq; ex his colligi poſſit, Acerbum frigidum eſſe & ſiccum, Auſterum & Acidum frigidos humidos, dulcem temperatum, Acrem calidum humidum, Amarum & ſalſum calidos ſiccos, Nihil obſtare videtur quin.

Ex ſaporibus Temperamenta dignoſcantur.

SECVN

SECVNDVS GRADVS LI centiatus quatuor examina per Intentionem dicta continens, & quintum Rigorosum Vocatum.

QVÆSTIO MEDICA PRO ptimo examine per Intentionem, proposita a Dº. IOHANNE de LORT, Professore Regio, de quâ respondi die prima Mensis Maij, Anno 1616.

An pleuritidi Basilicæ sectio ex parte opposita.

I.

OMnium thoracis affectuum gravissimus & periculosissimus est pleuritis, inflammatio scilicet membranæ costas succingentis, quam pleuran Græci vocant. Quamvis enim nomine pleuritidis quem libet lateris affectum intelligere videatur *Hippocrates secundo de victu in acutis* tamẽ aphorismo xxiij. Sect. iij. φύσις πλευρίων, ἀπὸ τοῦ πλευρητιδίου. manifesté distinxit, quia non omnis lateris dolor fit ab inflammatione membranæ, sed interdum aflatu, vel aliquo alio humore.

II.

HVjusce autem inflammationis, quæ veram pleuritiden committit causa humor est affluens

fluens attractus vel transmissus, bilisque aut sanguis esse solet, quia materia quæ crassam tunicam costas succingentem subit substantia tenuis, temperamento calida sit oportet; Ideo rarissimè pleuritin pituita & melancholia committunt ob crassitiē, nec nisi cùm tenuiori humori permiscentur. Causæ procatarcticæ sunt subita & repentina tempestatum mutatio, si hyemem austrinam & pluviosam ver exceperit aquilonium & siccum, tum etiam Immodica exercitatio, & ab æstu subita refrigeratio, ac frigidæ potus, vini immodicus usus.

III.

HAbet autem pleuritis symptomata gravia & periculosa, dolorem acutum & pungentem ob membranæ exquisitum sensum, spirandi difficultatem, pulsum durum, tussim, febrem acutam ob cordis viciniam, quæ signa sunt a verâ & legitimâ pleuritide inseparabilia, quibus ab aliis affectibus pleuritiden sæpe mentientibus distinguitur. A nothâ quidem quia nec pungit dolor, nec febris vehemens accenditur, nec spirādi difficultas admodum fatigat, ut in exquisitâ solet. A peripneumoniâ vero quoniam etsi febris adsit difficultasque anhelitus ea tamē major est quam in pleuritide, dolor nullus est, aut saltem exiguus, ob insensilem pulmonis substantiam, pulsus mollis est, non durus. Ab hepatis inflammatione quod dolor gravis sit & tensivus, anhelitus difficultas pauca extensa, tarda; quæ in pleuritide-

ritide rara est & frequens, interdum adest singultus. Ab empyemate vero & dyspnoeâ, quoniam in empyemate non est pulsus durus & serratus, non nisi valde obscurus spirandi labor, In dyspnoeâ vero nec dolor pungens adest, nec pulsus durus, nec acuta febris. Postremo a sputis signa causarum & temporum pleuritidis desumi possunt. Si flava sint a bile, si cruenta a sanguine, alba a pituita, nigra a melancholia fieri affectum demonstrant. Si nulla sint vel exigua aut cruda, principium, si crassiora fiant, paulo liberius exeant, colorem mutent augmentum, si dolore imminuto concocta appareant, promptiusque exeant, statum. Si dolore sublato pauciora sint & meliora declinationem pleuritidis arguunt.

IIII.

CVm igitur tam gravibus stipata sit symptomatis maximis ad curationem eget remediis Ideoque quoniam fit ex sanguinis affluxu, Iuvanda est Natura remedio potenter evacuante, tumoremque ad æquabilitatem reducente, scilicet venæ sectione, quæ convenit pleuritidi ad revulsionem materiæ quæ continenter per venas ad partem affectam cursum inflectit, & ad amotionem causæ conjunctæ, quæ jam fluxit ad partem & in eâ morbum facit. Secari autem debet è directo lateris dolentis vena cubiti interna basilica seu axillaris vocata. Cum enim revulsio, simulque evacuatio materiæ morbificæ fit instituenda,

tuenda, venam eam secare oportet quæ ex affectâ parte citius rutiusq; euacuet, & revellat, servata naturæ rectitudine & vasorum. Talis est basilica ab eodem latere secta, quæ ex Axillari orta communionem cum Venæ Azygos ramis obtinet. Frustra ergo *Avicennas* oppositi lateris venas tundit, cum enim morbus sit acutissimus, præsensq, auxilium efflagitet non est inutilibus vacuationibus excarnificandus æger, cum vnica venæ sectio revellat, deriuet, evacuet. Vnde rectè concludere possumus.

Pleuritidi vena sectionem ex parte oppositâ non convenire.

QVÆSTIO PRO SECVNDO

Examine per intentionem propositâ à Dº Morbello Professore aggregato.
Die nonâ mensis Maij,
Anno 1616.

An Epilepticus Vesicantia capiti admovenda.

I.

Inter symptomata terrifica quibus non tantum æger verum etiam adstantes exterrentur, præcipuum obtinet locum Epilepsia, propterea sacer herculeusq; affectus appellatur, quod sit morbus magnus & vehemens, qui facilè vinci & superari non possit. Est autem periodica, universi corporis convulsio cum mentis & sensuum oblæsione. Estq; vel Idiopathica, vel sympathica. Idi-

opathica fit à frigido crasso & pituitoso humore aut etiam melancholico in cerebri ventriculis spiritus meatum obstruente, quem dum cerebrum conatur ejicere sese contrahit, quo contracto nerui quoq; in consensum trahuntur, vnde fit totius corporis convulsio. Propterea quæcunque humores illos frigidos & crassos gignunt, ac in cerebrum detrudendi vim habent, Illa Epilepsiam possunt generare, ut indigestiones, frequentes coitus, crapulæ, cibi crassos humores generantes, tempus pluvium & austrinum. *Ex Aphorismo xvi. lib. 3.* Tum etiam Ver & Autumnus *ex Aphorismo xx. & xxii.* ejusdem libri sunt etiam quædam quæ proprietate faciunt Epilepsiam galbanum, myrrha, suffitus lapidis gagatis.

II.

QVI hoc affectu detinentur statim concidunt, convelluntur q;, exit ab ore spuma, quia cum omnes musculi respirationi inservientes convulsi sint, pulmoni ad dilatationem morem non gerunt, hinc aër concluſus incalescit, eoque calore materiam quæ est in bronchiis suis in spumam vertit per flatulentum spiritum fuliginosum, in omnes materiæ partes sese æqualiter insinuantem, estque symptoma non cujusliber, sed fortis epilepsiæ.

III.

III.

CVm igitur Idiopathica Epilepsia fieri soleat ab humoribus frigidis & crassis, curare debet Medicus ut evacuentur ac dissipentur humores illi, quod inter cætera remedia Vesicantibus capiti admotis præstari commodè potest. Cum enim Vesicantia calida sint, & acria, attenuant humores crassos & pituitosos, facileque ab internis ad exteriora; & corporis superficiem attrahunt, vnde licet concludere.

Epilepticis Vesicantia capiti esse admovenda.

QVÆSTIO PRO TERTIO EXamine per Intentionem proposita à Domino Francisco Ranchino Cancellario, die xiiij Mensis Maij Anno 1616.

An tussi pilulæ de Cynogloßo.

I.

PArtibus omnibus officialibus insita quædam est à Natura facultas excutiendi quod illis molestum est, negotiumq; facessit. Hinc in sternutatione cerebrum, in vomitu ventriculus quod noxium est concitato quodam Naturæ impetu expellere conantur. In tussi partes thoracis simul exurgunt, concutiunturq; musculi, vt quæ vel carni suæ molesta sunt in pulmonum arterias expellant,

vel quæ in aſperâ arteriâ continentur foras ejiciant, emiſſo confertim per pulmonum arterias plurimo ſpiritu, haud ſecus ac ſi quis quæ in fiſtulæ cauitate continentur efflatione vehementi expurgare velit. Nihil igitur aliud eſt tuſſis quam vehemens efflatio cum ſonitu à ſpiritu impulſo per aſperas arterias vt quod moleſtum eſt excludatur.

II.

CAuſæ autem quæ organis reſpirationi dicatis moleſtiam pariunt, aliæ ſunt externæ, aliæ internæ, Externæ aër frigidus, ejuſque ſiccitas nimia, aqua frigida avidius pota, fumus, pulvis, vaporeſque acres fauces & pulmones ſubeuntes. Tum quæ ab Oeſophago in aſperam arteriam delabuntur, vt cibus, potus, vel quicquid illud ſit, quod viam ſpiritus intercipit, aut arteriam exaſperat, ipſique aliquomodo moleſtum eſt tuſſim excitat. Cauſa interna duplex eſt, alia per conſenſum alia per eſſentiam. Per ſympathiam tuſſis excitatur ſi afficiantur partes quæ pulmones in conſenſum trahere poſſunt, vt diaphragmate, liene, Ventriculo inflammatis contingere ſolet.

III.

PEr eſſentiam vero fit tuſſis organis reſpirationis affectis. Afficiuntur autem primo ab Intemperie inæquali frigidâ & ſiccâ, frequentius autem frigidâ quæ thoraci eſt infenſiſſima. Deinde

Inde à morbis compositionis, inter quos est asperitas tracheæ arteriæ, Inde omnia quæ illam exasperare possunt tussim excitant, siue intemperaturæ, siue humores fuerint à capite defluentes. Denique fit ab obstructione quæ ab humore crasso, lento, & frigido bronchia pulmonum obstruente generatur, sive à cerebro defluat, sive in pulmone colligatur: Vel ab humore tenui, vt in hydrope pulmonum, pleuritide, vel à materiâ durâ vt vermibus, pure, grumo sanguinis, grandine.

IV.

Eius autem curatio pro varietate causarum est instituenda. Si itaque tussis fiat à catharro serino & tenuissimo in pulmonem irruente, qui præ tenuitate à fuliginoso spiritu comprehendi non potest, itaut etiam erosionis Visceris & tabis afferat periculum, danda est opera vt statim sistatur, humorque excludatur; Quod optimè præstare possunt pilulæ de Cynoglosso, quia materiam illam incrassant, & ad eductionem præparant. Si quis enim simplicia quæ has pilulas subeunt consideret, omnia incrassandi vim habent, semen hyosciami, thus, radix Cynoglossi, quibus additur myrrha ad abstergendum, Crocus & Castorium ex sententia Fernelii ad hyosciani & opij vitia corrigenda & emendanda. Vnde concludimus.

Tussi convenire pilulas de Cynoglosso.

Quæ-

QUÆSTIO PRO QVARTO EXamine per Intentionem proposita à Domino IACOBO PRADILLÆO Professore Regio die xx. Mensis Maij.

An Cephalalgiæ hirudines.

I.

OMnium sensuum quos Natura benigna parens animali indulsit, nullus est tactu præstantior cum ab eo animal denominetur. Propterea affectuum omnium periculosissimus & gravissimus est dolor actio tactus depravata, cum corpus faciat infirmum, & ad ejus infirmitatem humorum corruptionem adjungat. Præcipuè autem capitis dolor est terrificus propter excellentiam & dignitatem partis affectę cujus officio vita carere nequit. Est autem dolor capitis tristis sensatio partium nervosarum capitis orta ex subitâ alteratione aut continui divisione. Dolet enim caput non secundum omnes sui partes, sed tantum sentientes quæ capillo teguntur, vt cutem, pericranium, interiores membranas, venas, arterias, nervos.

II.

CAusa vero est alteratio subita ab Intemperie, vel solutione continui. Intemperies illa est simplex vel composita, sine aut cum materiâ.

Simplex

Simplex intemperies est primario calida vel frigida, tandem humida, non per se sola, sed quatenus materiam habet conjunctam. Potissimum autem dolorem hunc facit Intemperies, vt vocant, materialis cum humore aut vapore, qui sanguineus, biliosus, melancholicus vel pituitosus est, aut ex his mistus, atq; vel in cerebro generatur, vel ab universo corpore fertur in caput, vel à quadam corporis nostri parte vt ventriculo, liene vtero. Vnde dolor capitis alius Idiopathicus, alius sympathicus est.

III.

HÆc autem materia dolorem inducit, vel qualitate sua sola, quatenus inducit Intemperiem & alterat, vel quatenus continuum solvit, vt cum replet, gravat, distendit, mordet, erodit cerebri membranas. Adduntur his aliæ causæ rarissimè contingentes vt vermes, & lapides, quos in capite generari quidam non absq; ratione affirmant. Causas istas movent externæ procatarcticæ dictæ, vt vulnus capiti inflictum, aeris intemperies ad calorem aut frigus potissimum vergens, vt Australis quæ caput vaporibus replet, & Aquilonaris, quæ refrigerationes insignes inducit, ubi præterea flatulenti qui caput facillimè replent, tum etiam euchymorum quantitas nimia, crapula, ebrietas, somnus, vigiliæ immodicæ, ira, tristitia, timor, excretiones retentæ, aut mucus narium, aut vomitus consuetus, sudor, hæmorrhoides, menses. Facile autem ab

his causis afficiuntur, quibus caput ac membra coctioni destinata debilia sunt, qui omnino futuris carent, tum qui calidum & humidum caput habent, aptum enim maximè est vt repleatur.

IV.

QVælibet harum causarum ita dignoscitur. In intemperie nudâ & immateriali dolor fixus est sine gravitate & tensione, in calidâ quidem adest sensus caloris, in frigidâ frigoris, sicca est cum squallore; Vbi autem humor aut Vapor adest acris & biliosus membranas erodens, pungitivum excitat frigidus crassus, pituitosus aut melancholicus gravantem facit, flatus autem aut humores mitiores dum intra membranas se insinuant dolorem distendentem generant. Deinde dolor intra cranium ad radices oculorum pertingit, extra cranium superficialis est, & ad cutis capitis levem contactum & compressionem exacerbatur.

V.

QVæcunque autem causa istum dolorem committat, sive materialis sit, sive immaterialis, hirudinum vsus videtur esse admodum commodus & vtilis. Materiali quidem ad revulsionem & evacuationem materiæ morbificæ dolorem facientis. Immateriali vero quia diu superstes non remanet, quin sibi materiam attrahat & adscifcat, quâ foveatur. Cujus materiæ affluxum prohibent ac impediunt hirudines. Tum denique

denique quoniam hoc remedium omnibus omnino convenire potest ætatibus, pueris, senibus, cæterisq; quibus ad reliqua Valentiora remedia venæ sectionem scilicet vires non suppetunt. Vnde concludo.

Cephalalgiæ convenire hirudines.

SEQUITUR ULTIMUM EXAMEN.

Rigorosum dictum, super duobus punctis propositis à clarissimo Francisco Ranchino, Cancellario & Iohanne Varancæo, Decano, die prima Mensis Iunij An. 1616.

Quorum primum est *caput decimum tertium Artis parvæ de signis Cerebri temperati.* Secundum est Aphorismus sextus sectionis sextæ *Renum & vesicæ dolores in senibus non curantur.*

Quibus omnibus peractis Admissus fui ad Licentiatum à Venerabili Viro honorato hugone domino de Crammon Iuris vtriusq; Doctore, & Canonico Ecclesiæ Cathedralis Monspelienſis & Vicario Generali RR. D. Petri de Fenovillet Episcopi Monspelienſis. Die vndecimâ mensis Iunij. Anno 1616.

Quæstiones quatuor

CARDINALES PRO

Doctoratu consequendo propositæ à Clarissimis Viris FRANCISCO RANCHINO Cancellario, & IOHANNE VARANDÆO Decano Consiliariis Medicis, & Professoribus Regijs. De quibus per triduum Integrum mane & post nubidiem respondi. Diebus scilicet decima septima, decima octava, decima nona Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo decimo septimo.

QVÆSTIO PRIMA CARDINALIS.

An spiritu vitrioli in febribus pestilentibus sit Vtendum.

I.

REcte morbi dividuntur in sporadicos & communes. Sporadici sunt diversæ speciei morbi qui plures simul invadunt ut cum unus Ophtalmia, alius pleuritide laborat. Communes vero sunt ejusdem speciei qui varios homines simul corripiunt, suntque vel

vel Endemij, vel Epidemij. Endemij vernaculi regioni cuipiam familiares, ut bronchocele Alpinis, Strumæ Hiſpanis. Epidemij vel non ſunt pernicioſi qui ſimpliciter tales dicuntur, vel pernicioſi qui plurimos de medio tollunt, ſuntque peſtilentes.

II.

TAlis eſt febris peſtilẽs dicta, quæ nihil aliud eſt quã calida Intemperies epidemica, contagioſa, ex gravi & malignâ putredine. Tantùm enim differt hæc febris a reliquis putridis excellenti quodam gradu putredinis, quæ talis, tantaque eſt, ut cum veneno æquari & conferri poſſit. Poſſe enim humores in corpore noſtro in venenatam ſubſtantiam degenerare docuit *Galenus 6. de Locis affectis.*

III.

EIus differentiæ duæ tantum ſunt putrida & hectica, nulla Ephemera, cum non poſſint ſpiritus ſoli adeo inſigniter corrumpi, ut hanc labem ſuſcipiant. Cauſæ iſtius febris externæ duæ ſunt, aer & victus ratio. Aer inſpiratus, & corpori circumfuſus cor alterat, ſi calidior ſit & humidior, ſi putrida quadam exhalatione contaminatus eandem corpori imprimit malignam qualitatem. Victus ratio idem præſtat, cum alimenta vel naturâ ſuâ, vel aliquo alio vitio corrupta aſſumuntur, ut ſunt carnes fructusque putreſcentes, aquæ populoſæ cujuſdam civitatis

immunditias recipientes, similiaque quam plurima. Interna causa unica est humorum scilicet putredo, qui vel singuli separatim, vel omnes simul tam insigni ter putrescunt, ut veneni vires acquirant.

IV.

HVjus febris signa sunt, vigiliæ, cataphoræ, deliria, memoriæ læsiones, anhelitus fœtor, pulsus debilis, interdum similis sanis, appetentia dejecta, calor mitis & blandus extrinsecus, cum interiora plerumque æstuent. His solēt succedere maculæ variæ, bubones, parotides, carbunculi; Vrinæ plurimum perturbatæ, sæpe tamen sanorum similes, unde nullum ex iis certum de maligna febre indicium sumi potest.

V.

INter cætera præsidia quibus hic morbus superatur, non minimum obtinet locum Spiritus Vitrioli: Cum enim in hac febre magna sic obstructionum copia, ingensque putredo, quæ maxime aperientia postulant, cōveniet spiritus iste, qui potentissimē aperit putredinemque arcet. Vnde concludere possimus.

Spiritu Vitrioli in febribus malignis esse utendum.

QVÆ-

QVÆSTIO SECVNDA CARDINALIS.

An mulieri pleuriticæ fluentibus menſtruis vena ſit ſecanda.

I.

DE menſtruis ſcripſit *Ariſt. 1. de generat. animal.* excrementa eſſe ſanguinis, quod mulier cui bene menſtrua reſpondent, neque hæmorrhoidas, neque hæmorrhagiam, neque varices habeat. Solet enim Natura hâc viâ cacochymiam unjuerſi corporis ac Plethoram deponere. Miſcentur enim vitioſi humores ſanguini, hoſque unà cum ipſo facultas excretrix propellit.

II.

IGitur ſi mulieri acuto morbo laboranti ſponte erumpant menſtrua diligenter tum evacuationis quantitas, tum morbi tempus & Natura ſpectari debent. Nam in plethoycis morbis ſi liberaliter, morbique principio profluant, aut criticé præcedentibus ſignis coctionis, morbum ſolvere ſolet, omnemque aliam artificioſam vacuationem dehortantur; nam proximé de venâ cavâ effluunt.

At

III.

AT partium inflammationes, alijque affectus qui supra jecur & diaphragma consistant, nihil aut minimum mitescere solent sanguine ex utero profuso. Ideoque in gravissima illa pleuræ & musculorum intercostalium inflammatione quam pleuritidē vocamus, si quo tempore commodissime venæ sectio instituì debet, menses fluere incipiant dubium est num vena secari possit. Respondeo non quidem quamdiu fluunt menses, si satis copiosē prodire videantur, cum Natura suopte motu sanguinem expellat & reijciat. Vena enim secta subsistunt, & revocantur in corpus, unde augeri malum potest. Motus igitur Naturę, quę sæpissime occultas sibi vias omnibus Anatomicis ignotas molitur, minimē est interturbandus. Hoc enim modo non solum sanguinem superfluum expurgat vis corporis nostri rectrix, sed a gravioribus alijs morbis mulieres vindicare solet, hucque commodē referri potest quod ait *Hippocrates aphorismo xx. Sectionis prima*. Quæ judicantur aut Iudicata sunt integrē, nec movere, nec aliud quidquam innovare, seu medicamentis, seu alijs irritamentis, sed finere. Nisi tantum urgeat pleuritis, tantumque impendeat ex acutissimo morbo periculum, majorque corporis plenitudo adsit quam quæ ordinario mensium fluore solui possit, venæ sectio ad materiæ conjunctæ evacuationem statim instituenda, nam præterque quod mensium hoc pro-

profluvium non niſi ex accidenti & quam minimum de parte affecta vacuat, magis inſuper vrget pleuritis morbus periculoſiſſimus quam menſes vitæq; maior quam menſium habenda eſt ratio. Alias ſi tam diu differatur venæ ſectio, dum profluvium iſtud ſponte ſiſtatur; morbus increſcit, vires corporis eijcit, in quarum incolumitate tota ſpes ſalutis adeſt, vnde certiſſimum impendet vitæ diſcrimen. Alias vt diximus Naturæ motus minimè prohibendus. Niſi ergo ingens adſit corporis plethora, morbuſque ſolito gravior, menſes vel parcius, vel immoderatius profluant Iure concludimus.

Mulieri pleuriticæ fluentibus menſtruis venam non eſſe ſecandam.

QVÆSTIO TERTIA CARDINALIS
An dolor Colicus à bile.

I.

INter graviſſimos corporis noſtri dolores recenſetur colicus, cuius acerbitate Victi quamplurimi ſibi violentas manus intulerunt, ita vt vehementiſſimos quoſquè dolores ventris colicos vocavit *Galenus ſecundo & ſexto de locis affectis*, hinc medicamenta colica dicuntur quæcunq; ad conſopiendos dolores fuerunt excogitata. Proprie tamen colicus dolor eum ſignificat qui particulatim craſſa afficit Inteſtina, frequentius quæ fit in colo propter ipſius

magnitudinem, multiplices gyros & anfractus, sunt autem Intestina omnia membranosa exquisitissimo sensu prædita ob nervos quos habent à sexta coniugatione.

II.

CVm autem in subita alteratione & continui divisione doloris natura consistat. His duobus modis in Intestinis fit colicus dolor. Ab intemperie simplici composita, materiali, immateriali, calidâ, frigidâ, & siccâ, non enim dolorem magnum humida parere solet. Rarissimè autem ab Intemperie solâ fieri consuevit, aut saltem leuior est, cum huius modi intemperies sine materia breui tempore soleat perdurare, quin adsiscat sibi congenerem materiam a quâ postmodum atrociſſimi dolores excitentur.

III.

MAteria autem hæc vel flatulenta est, vel humorosa, vel aliquid medium. Flatus incluſi anfractibus inteſtinorum præsertim coli, si exitum non inveniant, multiplicantur & distendunt inteſtina sicq; dolorem inducunt. Hunc quoq; pariunt, pituita, vitrea præsertim, quæ suâ viſciditate & frigiditate inteſtinum hoc maximè turbat. Melancholia quæ sua aciditate pungit & vellicat. Bilis quoq; humoresque acriores & calidiores a quibus Inteſtina mordentur & affliguntur, iure inter huius mali causas recenseri debent, cum à cauſis calidis dolor omnium acerbiſſimus

bissimus excitetur. Qua propter rectè scribit *Galenus duodecimo methodi capite octavo* dolorem colicum fieri plerumq; aut ex crassa & lenta pituita, aut ex flatuoso aliquo spiritu, aut ex tenui & acri humore locum mordente ac vellicante. Concludamus igitur.

Dolorem colicum fieri posse a bile.

QUÆSTIO QVARTA CARDINALIS.

An hydropi paracentesis.

I.

HYdrops tumor est vel totius corporis ab humore vel ventris tantum ab humore & aflatu vel ab vtroquè. In toto corpore & venis Anasacra, in ventre aqua collecta Ascites dicitur, In eodem flatu plurimo intercluso cum paucâ aquâ Tympanites nominatur. In omnibus causa antecedens hepatis est refrigeratio, quâ sanguificatio depravatur siue idiopathico affectu iecur laboret, vt phlegmone, scyrrho, intemperie, sive per concensum aliarum partium, ventriculi, iecoris, lienis & cæterarum. Ex his enim omnibus malum communicatur hepati, vt si splen ob scyrrhum non expurget sanguinem. Renes aut obstructi, aut imbecilliores serum non trahant, menses hæmorrhoidesue supprimantur, aut etiam copiosius quam par sit fluant. Immodicâ vacuatione vna cum sanguine exhausto calor expirat. In suppressione sanguis & excrementa refluunt in hepar, vnde suffocatur.

II.

HEpatis ista refrigeratio tres habet gradus. Aut enim defectus parvus est & generatur sanguis pituitosus qui facit Anasarcam. Si vero calor visq; hepatis magis imminuatur generantur flatus in tympanite. Si maximè iecur fuerit refrigeratum generatur aqua in ea hydropis specie quæ Ascites dicitur, in qua abdominis capacitate aqua colligitur, & retenta sæpius putrescit.

III.

QVod malum cum sit gravissimum curare debet Medicus, vt aqua illa stagnans edomito prius fomite educatur. Quod si per diuretica, hydragoga, sudorifica, præstari non potuerit ob morbi contumaciam ad extremum remedium nempe paracentesin tanquam ad sacram anchoram erit confugiendum. Sic enim humores abdominis capacitate contenti facile evacuantur, quod remedium suâ naturâ salutare, quia difficillimum & periculosissimum administrari debet valentibus, non prostratis viribus. Quod si ægri hanc sectionem possint perferre dubium non est quin.

Hydropi conveniat Paracentesis.

ASSERTIONES MEDICÆ

I.

Medicina est ars, non scientia.

2.

Elementa miſcentur retuſa cum formis tum qualitatibus.

3.

Temperamentum eſt qualitas quinta à primis orta, ab illis tamen diverſa.

4.

Calor nativus cæleſtis eſt non elementaris.

5.

Spiritus tres ſunt Naturalis, Vitalis, Animalis.

6.

Eodem motu non moventur Cor & arteriæ.

7.

Morbus eſt affectus præter naturam actionem primo & per ſe ladens.

8.

Color corneæ tunicæ organicam ladit actionem, morbus tamen non eſt organicus.

9.

Cauſa datur in morbis continens, non in omnibus.

10.

Dolor fit tum ab intemperie tum a ſolutione continui, nec ſolum tactui, ſed & alijs ſenſibus competit.

11.

Melancholicorum timor ab obſcuro eſt humoris colore, non proprietate.

12.

Philthris amor induci non poteſt, nec datur pulſus amatorius.

13.

Febris est calor extraneus accensus in corde.

14.

Tria tantum indicant, morbus, causa & vires.

15.

Superstitiosa medicamenta, periapta, amuleta, Incantationes, carmina, cæteraq; eiusmodi Imaginationem Spiritusq; commovendo, morbos interdum curare possunt, Rejciendatamen.

PROBLEMATA.

1.

An ex saporibus temperamenta dignoscantur.

2.

An pleuritidi basilicæ sectio ex parte opposita.

3.

An Epilepticis vesicantia capiti admovenda.

4.

An tussi pilulæ de cynoglosso.

5.

An cephalalgiæ hirudines.

6.

An spiritu vitrioli in malignis febribus utendum sit.

7.

An mulieri pleuriticæ fluentibus menstruis vena sit secanda.

8

An dolor colicus a bile.

9.

An hydropi paracentesis.

His tandem per triduum feliciter propugnatis Laurea Doctorali insignitus fui a Domino Francisco Ranchino *Cancellario* Monspelliensis *Universitatis, Die secunda Mensis Maij. Ann. Dom.* 1617: *Ante annum atatis meæ vigesimum.*

ASSER-

QVÆSTIO MEDICA QVAM Poſt meum ex Monſpelienſi Vniverſitate diſceſſum publicè propugnavi Burdigalæ in prætorio Vrbis die *vigeſima prima Menſis Decembris, Anno Dom.* 1617.

QVÆSTIO MEDICA.

An in febribus malignis apparentibus exanthematis vena ſit ſecanda.

ANima quâ homo vivit, ſentit, intelligit, naturâ ſuâ incorporea ac cœleſtis, caduco corpori vniri, in eo conſervari, tot tantaſq; edere actiones nequaquam poſſet, niſi calido innato veluti quodam vinculo copularetur, huius enim miniſterio quicquid in nobis ſalutare & vtile eſt natura perficit & exequitur, quicquid noxium eſt depellit, Ideoq; morborum medicatrix ab Hippocrate nuncupatur. Eius ſubſtantiam conſtituit non qualitas pura, ſed humidi primigenij ac ſpiritus inſiti æquabilis vndiq; perfuſio. His enim coniunctim calidum innatum continetur quæ a ſe invicem ſeparari incolumi vitâ nequeunt; cum in humido calor vigeat & conſervetur eoq; nutriatur. Sed cum varijs naturalium morbificarumq; cauſarum tum internarum tum externarum iniurijs pateat, multas variaſq; ſubit mutationes

tiones, tum ætatum decursu, tum per anni tempora, cæliq; varios ſtatus, regionumq; temperaturas. Quin & ipſe calor dum iucundè fruitur humidi radicalis pabulo, ſemetipſum conficit abſumpto eo humore ſine quo conſiſtere nequit.

II.

CAuſæ vero morbificæ vel illi omnino adverſantur, vt frigus, vel ipſum de naturali ſtatu eijciunt, vt calor præter naturam, quem rerum calidarum vſus & contactus, motus, cutis conſtipatio, putredo generant, qui cordi naturalis caloris fonti communicatus febrem procreat, quæ calor eſt extraneus è corde per venas & arterias in vniverſum corpus effuſus. Duplex autem eſt calor iſte, vel ſimplex, vel putridus. Simplex ſolius caloris eſt exuberantia qui vel in ſpiritibus, vel in ſolidâ cordis ſubſtãtia inhærens febrem facit aut ephemeram, aut hecticam. Putridus quẽ putris humor de ſe fundit febremq; gignit putridã, continuam & intermittentẽ tertianam quartanam quotidianam, pro humoris putreſcentis & loci natura: hinc tres ſunt febrium differentiæ eſſentiales. Ephemera quæ in ſpirituum ſanguiniſq; ſimpliciter feruore conſiſtit, in qua ſpiritus quidem incaluit, humores vero ac ſolida incaleſcunt, ſed nondum incaluerunt. Hectica in qua inæqualis eſt ſolidæ cordis ſubſtantiæ intemperies. Putrida in qua calor ex putreſcente humore ſuſcitatur.

III.

PVtredo hæc varios gradus sortitur. Vbi enim remissa est febrem facit quam putridam vocamus. Si vero tanta tamq; eximia fuerit vt veneni vires acquirat febrem generat malignam & pestilentem. Tantum enim a reliquis putridis febrem hanc differre voluit Galenus excellenti quodam gradu putredinis. Vnde eam definimus calorem præter naturam ex graui malignaq; putredine ortum. Hinc fit vt cum spiritus soli tam insigniter corrumpi minime possint pestilens Ephemera nulla detur, quoniam natura sua perniciosa non est, sed ad salutem feliciter terminatur. Hecticam quidem pestilentem, quamvis rarò, dari voluit *Galenus*. Sed hæc certissimam affert necem, cum nulla Medicina excogitari possit ad putredinem quæ cordis corpus occupavit. Frequentior autem est humoralis pestilens, eaq; semper continua, maximeq; synochus ardens, nunquam intermittens quæ suâ naturâ salutaris esse solet.

IIII.

PVtredinis autem huius causæ sunt vel internæ, vel externæ. Inter externas præcipuum locum obtinet aer qui à nobis per inspirationem attractus & corpori circumfusus, nos alterat & corrumpit, si putredinem quandam venenatam toti temperamento nobis contrariam contineat: Vnde fiunt febres verè pestilentes ac

Epidemicæ

epidemicæ, quæ ex communi cauſa originem habent. Hanc autem venenatam qualitatem aer aut à ſe habet, cum calidior aut humidiòr ob prohibitam tranſpirationem putreſcit, aut aliunde cum ex voraginibus, ſpecubus, paludibus, animalium cadaveribus, alijſquè rebus maximè putridis tetri vapores exhalant, aeriq; permiſcentur. Secundo victus ratio, cum cibi natura ſua, vel aliquo vitio corrupti, præſertim in annonæ caritate comeduntur, vnde humores facile putreſcunt, aut ad puttredinem diſponuntur. Interna cauſa cacochymia eſt, nam interdum humores & excrementa in corpore retenta adeo putreſcunt, vt id non minus lædant quam quæ extrinſecus adveniunt venena. Hincq; illa febris oritur non quæ vere peſtilens eſt & Epidemica, ſed quæ maligna vocatur, peſtilenti veræ ſymptomatum vehementia ſimilis, quam propterea peſtilentem ſine peſte vocant.

V

HVius indicia ſunt calor mitis & blandus extrinſecus, cum interiora magno incendio conflagrent, cataphoræ, deliria, memoriæ læſiones, anhelitus foetor, frequens corporis iactatio, appetentia deiecta, pulſus debilis, interdum tamen ſimilis ſanis, ſicut & vrina. Sed certiſſimum ſignum ſunt bubones, carbunculi, exanthemata, ſiue maculæ rubræ, purpureæ, nigræ quæ tertio aut quarto die nulla criſi, nulla morbi ſolutione ſolent erumpere; in febribus quæ

ſynochiſpeciem habent, in quibus Natura dum adverſus morbum & cauſas morbificas valide pugnat, venenum conatur eijcere. Quapropter hæ maculæ humorum & fervorem, ſævitiam, ebullitionemq; demonſtrant, ac putredinis malignitatem, qua natura cogitur ante tempus vacuationem invtiliter tentare. Vnde quamvis per hæc exanthemata nihil excernatur propenſionem tamen & conatum naturæ humores ad ſuperficiem corporis pellentis indicant.

VI.

CVm morbus hic maximus ſit, maxima poſtulat remedia, non purgationem ne noxius humor quem natura ad cutem propellere nititur retrocedat partesq; internas labefactet, ſed venæ ſectionem quam maculæ nullo modo prohibent. Cum enim ab inſigni tantummodo ſanguinis ebullitione fiant, & in morbi principio ſoleant apparere, nihilque ægrum juvent, nec vlla materiæ morbificæ portio per eas evacuetur, illarum gratiâ tam nececeſſarium præſidium omittendum non eſt, & proinde venæ ſectio ſi vires ferani in morbi principio, antequam collabantur celebranda. Nec inde materia ad interiora revocatur, non enim ita inaniuntur venæ, vt ex alijs partibus attrahere neceſſe habeant. Quin imo natura oneris quo gravabatur parte leuata reliquum quod moleſtum eſt facilius ſuperat & expellit. Vnde concludendum videtur.

In febribus malignis apparentibus exanthematis venam eße ſecandam.

ASSERTIONES.

1.

TRes ſunt facultates, tres ſpiritus, Vitalis, Naturalis, Animalis, tres partes principes, Cerebrum, Cor, Hepar, tria organa, venæ, arteriæ nervi.

2.

Principes animæ facultates per totum Cerebrum diffuſæ ab eius tum temperie, tum conformatione pendent.

3.

Vrinæ & ſudoris cum eadem ſit materia, hunc in corporibus ſanis naturæ lege non generari & excerni male affirmavit Diocles.

4.

Morbus nec relatio eſt, nec ſubſtantia, nec quantitas, ſed qualitas, diatheſis ſcilicet præter naturam actiones primo & per ſe lædens.

5.

In ſimilarem partem tantum cadit intemperies, vnde morbos totius ſubſtantiæ perperam commentus eſt Fernelius.

6.

Actionis læſæ tres tantum ſunt differentiæ, abolita, imminuta, depravata, ad quam dolor & omnes actiones auctæ referridebent.

7

In pleuritide malè Arabes Venas distantissimas primo secant, mox lateris affecti, cum quæ fit ex latere affecto venæ sectio revellat, derivet evacuet.

8

Quia vterus bonis delectatur odoribus, & tetros aversatur, Systiricis passionibus fœtida naribus, vtero bene olentia admota prosunt.

9

Febrem in convulsione excitare debet Medicus aut ijs vti medicamentis quæ eam excitare valent.

10

In febre tertianâ exquisita, Imo & in omnibus febribus quas putrescens humor concitat vtile est venam secare, si vires & ætas consentiant.

FINIS.